



RECTORI
UNIVERSITATIS
ALMA MATER

act. Nr. 229

W. W.

Tossanis, D.

n. 5. raiture Schriften.

K. III. 19.

ORATIO FVNEBRIS

DE VIRTVTI-

BVS VIRI INCOMPARABILIS,
D. IACOBI ANDREAE, SACRAE
Theologiae Doctoris praestantissimi, Scholae &
Ecclesiae Tubingensis Cancellarij & Prae-
positi dignissimi: Praeceptoris,
compatriis & collegae sui
carissimi:

HABITA IN COENOBIO HIRSAV-
giensi ab

ANTHONIO VARENBUERO D.
Abbate Ibidem.

Pfalm. 118.


Non moriar, sed viam eius narrabo opera Domini.



TUBINGÆ,

Apud Alexandrum Hockium Anno Domini

M. D. LXXX.



2

DOMINO NICOLAO VARENBUER-
RO, IURIS VTRIVSQUE DOCTORI: ILLU-
strissimi Ducis Vvirtembergici consiliario: con-
dicis Iustiniani in celebri Tubingensi Schola
interpreti ordinario: Patri suo
fidei caroq;

Gratia & pax à Deo Patre, & Domino nostro
Iesu Christo.



*Itto ad te percare Pater oratiunculam,
quam de Virtutibus Reuerendi & Clarif-
simi Viri D.D. Iacobi Andreae in cenobio
Hirsaugiensi habui, atq; in publicum pro-
dire volo, idq; duabus de causis. Vna est,
vt publicum extet testimonium meae in
hunc virum optime de Ecclesia Christi meritum obser-
uantiae. Nam huius tanti viri, Praeceptoris, compatris
& collegae mei, me neq; penitet neq; pudet: adeò vt eti-
am partem felicitatis meae iudicem, hunc virum iuxta cla-
rissimos eius collegas, D. D. Snepsum pia memoria, & D.
D. Herbrandum, praectorem mihi contigisse.*

*Altera est, quòd harum verissimarum laudum, quas
commemoro oratione hac (renui illa quidem) tu etiam testis
es. Qui in Schola Tubingensi Iuris Interpres es publicus,
vltra quadraginta quinq; annos: & hunc demortuum to-
tidem annis nouisti. Cuius tu vicinus fuisti, in senatu col-
lega, & compater per annos viginti septem: cui etiam affu-
isti cum huic mundo valediceret, & in vera confessione
Iesu Christi, quem sermone & scriptis quadraginta quas*

M 2

1407

PRAEFATIO.

euor annos sincerè professus est, constantissimè perseue-
raret.

Quod tuum testimonium, qui ipse oculatus es testis,
apud omnes cordatos meritò valere debet.

Testabuntur idem tecum, reliqui Scholæ Professores,
viri pietate, virtute, sapientia doctrinâq; clarissimi: quo-
rum apud optimos quosq; summa est autoritas.

Quicquid ergo veritatis hostes, & alij maleuoli, de
hoc viro calumnientur: ut hætenus consueuerunt, & ne
nunc quidem cessant: scimus illos luculentam tanto viro
facere iniuriam, quam coram tribunali Iesu Christi nun-
quam excusare poterunt. Scimus hunc virum talem fuisse,
qualem optare quidem possumus, sperare vix possumus.

De Luthero dixit D. Philippus Melanchthon, beata
memoria: fuisse eum postremæ ætatis Eliam, & currum
atq; aurigam Israëlis, &

Nulla ferent talem secla futura virum.

Huius postremi Elia Lutheri spiritum, si quisquam hæc
buit nostro seculo, D. Iacobus Andrea habuit, & utinam

Ferrent talem secla futura virum.

Sed hæc commendanda sunt Deo Optimo Maximo,
à quo omne perfectum donum proficiscitur. IS velit
suam Ecclesiam, & Respub. benè constitutas, omnipotentè
sua dextra conseruare, contra inferorum portas: ne vlla
vi turbinum labefactentur & corruant, quos Diabolus
summo

Iacob. 1.

PRAEFATIO.

Summo nunc conatu excitat, cum sciat breue suum esse tempus: Velit etiam largiri viros instructos donis necessarijs, qui utiliter seruire possint ad gloriam nominis Diuini & ad multorum salutem, Amen. Vale feliciter, ex Hirsau-
gia. 5. Februarij. Anni 1590.

Filius tuus obsequens

Anthonijs Varenbüler D. Abbas
in Canobio Hirsaugiensi.



A 3

Cum:



Oratio, de Virtutibus



VM, adolescentes optimi, hisce diebus
Deus Opt: Maximus, Reuerendum vi-
rum, Dominum Iacobum Andreae, Sacrae
Theologiae D. praestantissimum, Scholae
Tubingensis Cancellarium & Ecclesiae
Praepositum dignissimum fidelissimumq;
viri incomparabilem, ex hac vita mi-
sera & ærumnosa in Coelestem Patriam euocauerit: Visum
est nunc, huic viro Clarissimo, & de Ecclesia Christi opti-
mè merito, parentare: cum aliud officium magis pi-
am ipsi praestare non queamus.

AEquum enim esse censeo, vt, cum tali tantoq; viro
orbati simus, luctum nostrum testemur. Etenim si AE-
gypto fleuit Iacobum, si Israëlitæ Mosen, si Elisæus Eliam,
praestantissimos illos Dei Viros, per quos Deus mortali-
um generi summa contulit beneficia: cur nos non pari
pietatis affectu, desleremus eius viri obitum, per quem
Deus hoc extremo seculo non contemnenda merita in
Ecclesiam suam contulit? Si filios decet lugere obitum
suorum parentum: Si, cum amicus tristatur, quod amico
suauissimo coniunctissimoq; est orbatus, non modo non
reprehendimus, sed etiam in laude ponimus: quis tam
alienus, non dico à pietate, sed ab omni humanitate est,
qui non existimet rectè à nobis fieri, quod hoc tempore
& nos lugeamus? cum Patre & Praeceptore fidelissimo,
amico atq; collega longè iucundissimo & sincerissimo in
hac vita simus orbati: cuius eximia in Ecclesiam merita,
virtutes illustres, praëclara vita non patiuntur, vt eius me-
moriam tam facile deponamus. Itaq; etiam si corpus
eius sepultum sit, non tamen commitemus, vt vnà virtu-
tes eius praëclaræ sepultæ videantur.

Non

D. D. Jacobi Andrea.

Non sum autem nescius, quod ex professoribus Scho-
lae Tubingensis celeberrimis viris, aliquis praestans ora-
tor, oratione luculenta, copiosè ornatèq; hisce de rebus
dicturus sit: hoc enim defuncti vita praclarè acta mere-
tur: tamen propter huius viri in me merita, cuius ego au-
ditor fui, discipulus, collega, compater: qui eum per an-
nos vigintiseptem integros rectè noui, & multò melius,
quàm multi maleuoli: is etiam filij loco me semper ha-
buit, volui & hoc loco in eius obitum orationem habere
funebrem. Et quamuis à me non fiat eo ornatu, nec tan-
ta copia, qua & hic vir praestans dignus est & ab alio fiet:
tamen tanto libentius id faciam, quanto magis is vir me
amauit, & vt omnibus constet me hunc virum optimè
meritum vicissim dilexisse & dilecturum semper.

Neq; verò iam totam eius vitam pertexam: id enim
& nimis longum esset, & fiet, vt dixi, ab alio longè felicius:
Sed quasdam duntaxat eius virtutes percensebo: vt cog-
noscat, quantus is, quo sumus orbati, vir fuerit: & vt
virtutes eius, vos, qui futuri aliquando estis ministri Ec-
clesiae, pro virili imitari conemini.

Qua de re dum dico, vestram desidero attentionem.

A qua verò virtute potius incipiam, quàm ab ea que
inter omnes laudes principem locum habet, & habere
debet, pietate nimirum? Est enim vetus Praeceptum Na-
zianzeni, & optimum praeeptum, ἀρχὴ πάντων καὶ
τέλος ποίη θεού, quo praeeptum Praeclarus Ecclesiae Doctor
docere voluit, in omnibus actionibus pietatem nos cole-
re debere, quam Scriptura Timorem Domini appellat.

Et est talis virtus, quae omnem diuinum cultum, om-
nes propè virtutes suo complexu continet, ex qua tan-
quam perenni fonte, quicquid laudabile est promanat.
Hac est vt Chrysofomus ait, rectissima vitae norma, &
conuer-

*Nazianz. 30
μοροσίχ.*

*Chrysof super
1. Tim: 4. Ho-
mil.*



Oratio, de Virtutibus

conuersationis optimæ disciplina. Hac virtute noster defunctus claruit per omnem vitam. Etenim in prima statim pueritia studio flagrantissimo veræ Religionis ita dedit operam, vt non solum articulos fidei ex verbo Dei probè teneret, sed etiam vt Ministerio Ecclesiastico Adolefcens octodecim annorum, non solum dignus esset, sed vtiliter præficeretur. Eam pietatem quam ex verbo Dei à teneris hausit, sectatus est postea in omni vita: ostendit in omnibus officij sui partibus: quod ex ijs, quæ mox dicentur, patebit.

1. Tim. 4.

Hæc est illa virtus, quam D. Paulus in Ministro, quem instruere vult, requirit: cum ad Timotheum scribit: exercetemetipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio, paululum habet vtilitatis: at pietas ad omnia utilis est, vt quæ promissiones habeat vitæ præsentis & futuræ.

*Chris: super 1.
Tim. Hom. 12.*

Hanc Pietatem aluit noster, indefatigabili lectione & meditatione Scripturæ sacræ: in qua innutritus est, hoc est vt cum Chrysostomo loquar, diuina eloquia perpetuò ruminauit, & infatigabiliter animo versauit, eaq; intentissimè quotidie meditatus est. Hunc suorum & studiorum & actionum totiusq; vitæ suæ reatricem habuit: nihil vt susciperet, quod cum ea non coniunctum existimaret.

Hanc huius viri Pietatem Adolescentes, vt & reliquas, de quibus dicturus sum, vobis imitandam proponite, & in id elaborate, vt ab hoc ætatis vestræ flore vostonos ad eam componatis: in ea vos exercete sedulò: percipietis ex ea fructus amplissimos, & in hac & in futura vita.

Pòst Pietatem admiramur in hoc nostro incredibilem, & prope singularem atq; diuinam vim ingenij: quæ in puero mox sese exeruit, cum celerrimè omnia addisceret,

D. D. Jacobi Andreae.

disceret, æquales vinceret, condiscipulos docere posset, ut non tam ex Præceptore, quam ex discipulo condiscipuli proficere se posse profiterentur.

Istud donum diuinum, quod in se sensit, non neglexit: sed secundum præceptum Paulinum exsuscitauit: talentum sibi concreditum, non in sudario reposuit: hoc est, non indulsit ignauo otio, labores & sudores non fugit: sed ita eo est usus, ut per Dei gratiam ornaret & amplificaret. Non enim vnquam quieuit: Adolescens semper aliquid aut didicit, aut legit, aut ex condiscipulo exercendi ingenij causa quæsiuit; quod senex etiam fecit: qua ex re tam præclaram in rebus Theologicis sibi comparauit eruditionem, ut omnibus qui ipsum audissent admirationi esset.

2. Tim. 1.

Luc. 19.

Etenim de eius eximia illa & præclara doctrina, etsi multa dici possent, tamen iam hoc vnico contenti elogio erimus, quod ei tribuit Illustrissimus Princeps & Dux Inclytus, Augustus Saxoniae Elector, felicitis recordationis, cum eius Celsitudo Biblicum opus Complutense huic nostro clementer dono dedisset, atq; hæc verba inscribi curauisset.

B D. O. M.

Oratio, de Virtutibus

D. O. M.
GRATIA

D.

AUGVSTVS DVX SAXONIAE
*S. Rom. Imperij Archimarschalcus & Elector, Landt-
gravius Turingia, Marchio Misnia, &
Burggravius Magdeburg:*

Hæc

SACROSANCTA BIBLIA, SUMMO VI-
ro, pietate, doctrina & virtute ornatissimo, D. IACO-
BO ANDREAE, S. Theologia Doctore celeberrimo, doctri-
nae caelestis, ab ultimi Helie, D. D. Lutheri morte, in his
Regionibus, ab hominibus leuissimis corrupta, Instaura-
tore integerrimo, de Ecclesia CHRISTI optimè merito

Ob grati animi memoriam sempiternam

dono dedit Anno S.

M. D. LXXIX.

Hæc verbis ipsius Celsitudo propria manu subscripsit:

Tandem bona causa triumphat,

Augustus Dux Saxonia Elector.

Ecce, Illustrissimus princeps appellat hunc nostrum
summum virum, pietate, doctrina & virtute ornatissi-
um.

6
D. D. *Iacobi Andrea.*

num, vocat Theologiae Doctorem celeberrimum, Doctrinae caelestis instauratorem integerrimum, de Ecclesia Christi optimè meritum.

Quid verò præclarius à tanto Principe de hoc nostro dici vel scribi potuisset? Sed pergamus ad alia.

Lectiones porrò cùm in Schola publicè doceret, non cùm apparatu quodã & inani ostentatione fuerunt comparatae, quemadmodum in Hæreticorum Academijs solenne est: vt splendore fucato res proponant sæpè parùm vtilis, nonnunquàm impias, vt præter ostentationem vix quicquam laudabile, nedum vtile ex ijs percipere quis possit. Id D. Apostolus Paulus in falsis Doctoribus non modo reprehendit, sed etiam damnavit: & docet, se non venisse in sublimitate sermonis aut sapientiæ: & hortatur vt provideamus nobis diligenter, ne quis nos decipiat in sublimitate sermonum.

I. Cor. 2.

Col. 2.

Huius Præcepti Apostolici noster D. Iacobus semper fuit memor: nihil quicquam ostentavit vt gloriam aucuparetur: sed pro felicitate ingenij sui, ita se accommodavit ad captum auditorum: vt docti pariter & indocti ex eius prælectionibus proficere, & qui planè stupidus non esset, ex vnica lectione multa addiscere posset. Docuit tantùm vtilia: quemadmodum in Propheta Dominus loquitur, cùm ait: Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia. Ita certè noster, tantùm studiosorum habuit rationem, vt discerent necessaria atq; vtilia: Itaq; sermo & doctrina eius fuit in ostensione Spiritus & virtutis: Vt fides nostra non esset in sapientia hominum sed in virtute Dei.

Esa. 48.

I. Cor. 2.

In primis autem in hoc incubuit, cùm Theologia nostra in hoc mundo non debeat esse tantummodò Theoria

B 2

ca.

Oratio, de Virtutibus

ca, verum etiam practica, quemadmodum Lutherus loquitur, discipulis suis in explicatione scripturarum diligentissime & felicissime praxin ostendit, hoc est, quomodo ad usum Theologicum, ad consolationem, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in Iustitia applicare debeant & possint.

Qua in re mirum est, quantum valuerint, tres illi summi Viri, in Vna Schola, Collegæ coniunctissimi, Præceptores mei fidelissimi, quorum me neq; pœnitet neq; pudet: hic noster, D. D. Theodoricus Schnepfius, vterq; piæ memoriæ, & tertius qui adhuc Dei beneficio superest Reuerendus, & clarissimus vir D. D. Iacobus Herbrandus. Similes tres tam doctos, tam vtilis viros, tam in Theologica facultate celebres, in vno loco an simul fuerint, vehementer dubito: Vtinam autem in celebri Tubingensi Schola, & alijs rectè institutis locis tales esse posthac possint.

Disputationes verò & scripta huius nostri defuncti quod attinet, Deum immortalem, quanta felicitate quanta dexteritate omnia præstitit? Etenim in disputando, nemo non potuit mirari celeritatem ingenij, quæ obiecta tam facile potuit percipere, difficiles nodos facillimè dissolvere, obscura explicare: quod ipsum in scriptis eius doctissimis cernere licet.

Aristotel: 8. Top: Inter disputandum non fuit *δυσκολόν*, sed *ευκολόν*, quod certè rarum est in magnis ingenijs: quæ acres disputatores plerumq; ferre non possunt, præsertim si pertinacius sese opponant. At hic noster, qua mansuetudine, qua tolerantia quo suis sæpè valdè immodestè & odiosè disputantes audiuit patientissimè, respondit placidissimè

7

D. D. Iacobi Andree.

disimè, erudiuit tanta mansuetudine, tam incredibili comitate, vt omnes in admirationem sui raperet.

Est hæc quidem disputandi ars perdifficilis, est coniuncta cum summa eruditione, quæ necessariò requiritur, est paucorum hæc ars. Sæpè enim vsu venit, vt homo deficiat, etiamsi ratio non deficiat. Et quia non est omnium disputatio, vt ille ait, ideò pauci disputandi disciplinæ gnari sunt.

At huic viro exercitatissimo, adeò difficilis non fuit, vt ipsi fuerit facilima, & hoc ingens Dei donū quasi connatum videretur: ita potuit Gordios nodos soluere, vt nihil tam intricatum, nihil tam inuolutum videri potuerit, quod iste non facillè potuerit euoluere, & expeditum facere.

De Augustino, præclaro Ecclesiæ lumine (vt eum D. Lutherus appellat) omnes sentiunt, quicumq; rectè sentiunt: quòd eius ingenij felicitas prorsus fuerit incomparabilis: siue acumen spectes, quo obscurissima quæq; penetravit: siue capacis memoriæ fidem, siue vim quandam mentis indefatigabilem, & ad necessariæ veritatis inuestigationem, aciem plus quàm Aquilinam. At hic noster, an non eam aciem Aquilinam habuit, qua veritatem inuestigauit, atq; in lucem clarissimam produxit? an non vis mentis eius fuit indefatigabilis? an non ingenij felicitas incomparabilis? certè qui eum disputantem audiuit, quid docentem audiuit, qui huius viri scripta præclarissima legit, is facillè vera me dicere intelliget.

Quid verò de concionibus publicis huius viri dicam? quanta, Iesu bone, in eo fuit dicendi facultas? quantus populi concursus, si ipsum concionaturum existimabat? qua attentione omnes & qua voluptate eum audierunt?

B 3

qua

*August. de verbis
Domini, Serm. 38
Nazianz: in lau-
dem Heronis. Au-
gustinus lib. 2. so-
liloq. cap. 14.*

Oratio, de Virtutibus

qua grauitate hic vir verba fecit, quanta autoritate, quanta cum omnium admiratione?

De oratore ad
Brutum.
3. De Oratore.

Marci 5.
1. Theff. 2.

Chrysoftomus ob mellitissimam eloquentiam sicut scimus, hoc nomen est sortitus, vt appellaretur os aureum. Non dicam de Pericle quem Aristophanes Cicerone referente, fulgurasse, & tonasse, dicit. Mitto suauitatem Isocratis, subtilitatem Lysiae, acumen Hyperidis, sonitum AEschinis, vim Demosthenis, & similia: Habeant isti suam laudem. Sed tales (de gentilibus loquor) non Dei gloriam quaesierunt, non vtilitatem proximi: ad suam gloriam elaborarunt, gloriae mancipia, sua commoda spectarunt: & omnis ille dicendi splendor ferè inanis fuit fucus, quo pleriq; plus damni dederunt Reipubl. quam vtilitatis attulerunt. Verum hic noster, nullum inanem affectauit fucum, neq; propriam ambivit laudem: sed solius Dei gloriam quaesuit, auditorum salutem: cuius eloquentia non fuit in flumine inanium verborum, sed in manifestatione Spiritus: per cuius gratiam Sacra ita tractauit, vt verè Chrysoftomus dici posset: ita animos mouit, vt videretur alter Iacobus, Domini Apostolus & Frater, Tonitruum filius dictus, cuius nomen habuit. Cuius doctrina non fuit ex impostura, neq; ex immundicia, neque cum dolo: neque per sermonem adulationis versatus est, nec per occasionem auaritia, non quaerens ex hominibus gloriam, cuius Deus testis est; sed quemadmodum probatus fuerat à Deo vt ipsi committeretur Euangelium, ita loquutus est, non vt hominibus placeret, sed Deo, qui probat corda nostra, quemadmodum Apostolus loquitur.

Consolationes verò apud aegrotos, aut afflictos & pertur-

D. D. Iacobi Andrea.

perturbatos, aut in priuata confessione, qua ille vir moderate potuerit temperare, qua humanitate fuerit vsus, testabuntur omnes, qui ab eo consolationem, aut absolutionem priuatam acceperunt. Attulit profecto verba vitæ, hoc est, verba Christi, verba Scripturarum, salubres fontes Israël. Hoc enim præcepit Dominus per Prophetam, cum inquit: Consolamini, consolamini populum meum dicit Deus vester, ad cor Ierusalem (hoc est blandè alloquimini) & prædicate ei, quòd completa est militia eius, dimissa est iniquitas eius: suscepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis suis. Pœnitentes & credentes in Christum, non terruit purgatorio, non casibus reseruatis: non opinione proprii meriti, aut nescio quibus satisfactionibus & similibus nugis alijs est consolatus, quæ in trepidis conscientijs, in contritis cordibus ad consolationem nihil, ad desperationem verò valent plurimum: sed lætissimam illis Euangelij concionem proposuit, quia pauperibus annuncian- dum Euangelium est: eos instruxit solide, iucundissimamq; consolatione ita confirmauit, vt rectè cum Salomone de hoc nostro dicere possis, Fauus mellis iucunda verba, dulcedo animæ, & sanitas ossium. Id ego expertus sum in grauissimo & diuturno meo morbo: experti sunt mecum alij multi, qui adhuc viuunt, qui hac de re cæterisq; huius viri ornamentis, testari verissimè poterunt.

Præclara est virtus, quæ dicitur Zelus bonus, vel Zelus secundum scientiam: qui est seria & ardens dilectio Dei & nominis ipsius, ortus ex vera in Deum fide, accensus à Spiritu Sancto: quo homo impulsus &

B. 4 inflam-

Oratio, de Virtutibus

inflammatus posthabitis omnibus vitæ periculis, conatur Dei nomen & gloriam tueri, & vindicare.

Rom. 12.

3. Cor. 11.

Nazianz. in laudem Heronis.

Socrates lib. 6.

Cap. 12.

Heroica quidem planè virtus, sed præcepta à Spiritu Sancto. scribente Apostolo *τῆ σπουδῆ μὴ ὀκνηροὶ ἔσθε πνεύματι ζέοντες.* Hac virtute Magister noster vnicus, Saluator Chriſtus, in quo omnes virtutes sunt perfectæ, cunctos antecelluit: hac Prophetæ, & Apostoli claruerunt: hac inter Patres præcipuè Athanasius cæteris præstitit: hac postremo hoc seculo postremus Elias Lutherus, & inter Lutheri discipulos noster D. Iacobus claruit. Et certè, quod D. Paulus gentium Apostolus de se verissimè scripsit: ità hic de se verè dicere potuit: quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non yror? Hoc zelo diuino ardens noster, in omnibus ministerij sui partibus, quos labores non sustinuit, quæ pericula non subiit? Athanasius sanctissimus ille orbis oculus & Sacerdotum Antistes, vt cum Nazianzeno loquere vocat Originem *θαυμασὸν καὶ φιλοπονῶτατον.* Maximè verò fuit noster defunctus, ad miraculum vsq; laboriosus & industrius. Quis enim est, qui eius labores, vigilias, legationes, itinera, meditationes, possit percensere, ne dicam sustinere? certè si labores illi quos hic vir vnicus exantlauit distribuendi essent inter decem, decem illis non sufficerent. Hoc miratus sum ego sæpissimè, mirati sunt omnes quibus ille fuit notus: et nisi Diuina ope fuisset suffultus, singulari gratia à Deo ornatus, tanta profectò præstare non potuisset. Sed ad omnes istos plusquàm Herculeos labores, hunc virum impigrum & alacrem fecit Diuinus ille zelus de quo dixi, ille pius ardor à Spiritu Sancto accensus, pro Dei gloria, pro salute multorum: huc omnes & ingenij & corporis vires intendit. Nec solum

in

9

D. D. Iacobi Andree

in Iuuentute istam alacritatem, istam φιλοπονίαν ostendit; sed in extrema etiam senectâ, ad extremum vsque Spiritum. Nulli quieti se dedit aut otio ignauo: docuit, commentatus est, peregrinatus est, æstate, hyeme, nulla deterritus cœli inclementia, etiam ætate iam ingrauescente, quocunq; eum officij sui rationes vocabant. Hos huius viri labores, hanc industriam, hunc Spiritum feruentem, testabuntur multæ Ecclesiæ in Germania, multa monumenta, & ea quæ paucis diebus antè vitæ suæ finem scripsit & absoluit.

Vtinam verò, multi quibus ingenium est & vires suppetunt, idem conentur & idem præstent. Præter hunc Heroicum & Diuinum Zelum, alia fuit in hoc viro Heroica virtus, Magnanimitas nimirum: quam tum in alijs rebus ostendit, tum maximè in periculis: quæ nulla temeritate adiit, nulla timiditate fugit. Quas minas non audiuit? quibus accesserunt terrores intus, foris pugne: super quæ verba (vt in quadam è Saxonia ad me Epistola scripsit) integrum commentarium didicit. Quoties & quàm multi admonuerunt eum de insidijs, de periculis, quæ ipsi hic vel alibi struerentur, vt ita ab officio suo & opere concordia absterreretur. Sed hic noster nullis minis absterritus, solummodò spectauit quid Dei gloria requireret, quid salus Ecclesiæ posceret, quid officium postularet: id cum apud se exploratum esset, amicorum consolatione accepta, animo infracto & verè Heroico, Domino confidens, adiit mille discrimina rerum: inter cæteras consolationes quas animo & memoria promta habuit, subindè repetijt has præcipuè duas sententias:

Iacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet,
& non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Item: Non moriar sed viuam, & narrabo opera DOMINI.

C Solitus

2. Cor. 7.

Psal. 55.

Psal. 118.



Oratio, de Virtutibus,

*Ephes. 5.
Rom. 15.*

Solitus est hic Heros accurata meditatione perpendere huius exulcerati seculi res perturbatissimas, quia dies mali sunt, ut Paulus inquit: iccirco cum reliquis Christianis voluit *συναγωνίζεσθαι*, hoc est preces Heroicas & valde ardentes pro Ecclesia & Repub: Christiana fundere, præcipue cum solus esset, quod illi norunt, qui ita precantem, solum repererunt. Quam pij autem & ardentes fuerint affectus erga Deum, qui gemitus, quæ suspiria, vidi & audiui interdum, explicare non possum. Certum verò est, & nemini dubium, quod magni viri & præclari Heroës suis intercessionibus apud Deum multa sæpè obtinuerint.

*Genes. 32.
Iacob. 5.*

Mosès summus Propheta Dei amicus, precibus Deum tenuit: & obtinuit, ne populus propter horribilem Idolatriam vituli aurei extingueretur. Ad preces Eliæ non pluit super terram annos tres & Sex menses, & rursus ad eius preces Cælum dedit pluuiam, & terra protulit fructum suum. Ità quis dubitabit, hunc virum cum tanta fiducia Dominum precaretur multa auertisse mala, plurima Ecclesiæ & Reipub. impetrasse bona?

Præclarum in hoc nostro semper fuit, & nunquam non admirati sunt, qui cum in grauisimis deliberationibus & consolationibus viderunt & audiuerunt. Res arduas, difficiles, diu controuersas deliberatasq; singulari Dei beneficio, admirabili dexteritate, aperire, explicare, perspicuas facere potuit, ut omnes qui ipsum audirent, eius rationes & consilij causas cognoscerent, facillimè in eius sententiam concederent. Etenim talia eius viri fuerunt consilia, quæ ad pacem, & concordiam, in primis ad Dei gloriam, ad salutem multorum, ad Ecclesiæ ædificationem vergerent: adeò potuit, suo candore, sua Pietate, ipsa.

D. D. Jacobi Andrea.

ipsa causæ bonitate, alios etiam qui diuersum sentiebant in suam pertrahere sententiam.

Magnum est Dei beneficium bonos habere consiliarios & prudentes: quod agnouit Pharaö Rex Aegypti cum Iosephum plenum prudentia & fidelitatis consiliarium reperisset. Quantum adiumentum fuit Mofi, summo illi Viro Dei, cum ei Iethro ostenderet, qua ratione graue illud administrandæ Reipub. onus leuare posset, vt & Mofi facilius esset, & populo salutare? Ast hoc & alia Dei beneficia non agnoscuntur donec amittamus: & vt ille ait,

*Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis querimus inuidi.*

Atq; hæc est iusta Dei vindicta, vt posthac eo munere careamus, pro quo non fuimus grati: sicut per Prophetam interminatur, quòd ablaturus sit Senem & honorabilem vultu, & consiliarium, & peritum oratorem &c. Ita ingratus mundus hoc tanto viro, quo certè dignus non fuit, est orbatus.

Laudabile prætereà in nostro D. Iacobo fuit, & profectò veræ pietatis, fidei, caritatisq; Christianæ haud exiguum indicium, quòd & pauperum curam habuit, & studiosorum commoda pro viribus promouere studuit. Cogitandum enim est, quid sint pauperes, & quid Studiosi. An non pauperes sunt illi, quos Christus suos vocat? an non sunt tales, quibus qui propter Christum benefecerit, ille recepturus à Christo mercedem est? an non ipse Christus est pollicitus, se benefacta illa in pauperes, in maximo illo conuentu extremi iudicij celebraturum? Pauperum cura certè Ministris Ecclesiæ quoque incumbit: hoc

C 2 Apostoli

Genes. 41.
Exod 18.

Horat. lib 3. Car.
ode 24.

Esa. 3.

Matth. 25.



Oratio, de Virtutibus

Matth. 18.

Apostoli fecerunt, & ipsorum posterii, Laurentius & alij multi, quos nunc recensere opus non est. Studiosi verò quid sunt aliud, quam seminaria Ecclesiæ & Reipublicæ ex quibus aliquando vtilis fiunt Reipub. ciues? Hoc optant Parentes, hoc omnes honesti ciues in votis habent, omnes pij magistratus nihil magis propè desiderant. Enimverò quando Christus dicit, Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est: nunquid non etiam Adolescentes, pietatis & bonarum artium Studiosi pusillorum nomine veniunt? qui licet per ætatem & Iudicij atq; intelligentiæ angustiam pusilli & contemptibiles videantur, tamen etiam illis cœlestes Spiritus seruiunt, cur nos non illis inseruiremus? tamen ex his parvulis magni & præclari viri euadere possunt, cur ergo eos negligeremus? cur non modis omnibus foueremus?

Matth. 5.

Ephes. 4.

Philip 4.

Est alia virtus Christiano homine dignissima, quam Christus suis auditoribus inculcat, pacis scilicet studium: & disertè pronunciat, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Apostolus quoque obsecrat, vt solliciti simus seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Etenim qui hoc vinculum pacis non seruat sed rumpit, quomodo is Christianus, aut filius Dei esse potest, & saluari qui poterit? Nam hæc est Dei natura, vt pacis sit amans, vnde Deus pacis dicitur: hæc Spiritus sancti propria est operatio, in veritate glutino caritatis, animos vt pacatos reddat & tranquillos. Qui huius virtutis studiosus non est, alium eum habere Spiritum necesse est, quàm Spiritum sanctum, qui pacis est Spiritus: nimirum Spiritum tenebrarum, cuius proprium est, lites serere, contentiones ciere, omnia turbare, commiscere, confundere. Hoc Sathanæ studium noster præceptor defunctus impugnauit acerrimè, quantum in ipso fuit ad piam Concordiam, ad diuina

nam

M

D. D. Iacobi Andree.

nam pacem cunctos reuocare studnit. Pro hac sancta pace propaganda & conseruanda, noster non solum quosuis subijt labores, sed etiam vitæ pericula, & quasi ceruicem suam obiecit pro multorum animabus.

Nec hinc moror quosdam à quibus hoc huius viri pacis studium sinistrè acceptum est: dum alij perturbatorem pacis hunc nostrum proclamauerunt, alij verò eum cum veritatis hostibus colludere dixerunt, & velle eum lucem cum tenebris, bonum cum malo confundere atq; permiscere, Christum cum Belial concordare.

At ita se res habet: cum in hoc candido & Sincero pectore (de D. Iacobo loquor) veræ piæq; pacis studium in esset, & vera caritas, quæ omnia credit, omnia sperat: hinc accidit, vt cum tenebriones quidam, Sathanæ Ministri, in Angelos lucis se transformarent, & fidem ore profiterentur quam corde non crederent (vt solent Caluinistæ Zvvingliani & horum similes lucifugæ) non ilicò tales damnare vel voluit vel potuit, præsertim cum *καρποφύωνος* non esset: sed tantisper eos habuit pro fratribus, donec quales essent apertè ostenderent. Nec malè ea in parte fecit: quilibet præsumatur esse bonus, donec contrarium probetur. Quòd verò de veritate vel tantillum concefferit, hoc nemo hominum demonstrabit.

Quid de alijs huius viri ornamentis commemorem? quid dicam de suauitate morum? quibus omnibus bonis se commendauit, cunctis fuit amabilis. In familiari colloquio, in conuiuiis honestis, non vultu aspero & tertrico fuit: non vt Pharisæi & horum similes, homines duplici corde qui Curios simulant, alios Epidauricis oculis intuentur & accuratissimè obseruant, si fortè an-



Oratio, de Virtutibus

in calumniandi & traducendi arripere possint: non hic noster talis fuit, sed præbuit se hilarem, sobrium, modestum: & quod in conuiujs vel maximè laudabile est, honesto colloquio tanquam optimo condimento, de rebus grauib9, vtilibus, ad Dei gloriam ad Reipub. salutem pertinentibus, epulum ornare studuit. Et si de rebus alijs minus seueris, honestis tamen sermo incideret, quanta in eo homine fuit iucunditas, quam suavis lepos? Non scurrilis dicacitas fuit, non *αἰχρότης καὶ μαρολογία ἢ εὐτραπέλεια, τὰ ἐκ ἀνήκοντα*: sed reuera fuit eius sermo iuste conditus, & miscuit vtile dulci.

*Ephes. 5.
Col. 4.*

Quanta eius fuerit mansuetudo, quam affabilis, norunt omnes, quicumq; eum norunt. Res odiosas quanta tolerantia audiuit? cum opus erat quanta lenitate respondit? Appello omnium conscientias, qui interfuerunt quando mentio facta esset grauissimarum accusationum quæ passim contra eum spargerentur, an non æquissimo animo audierit, contempserit?

Etsi enim viro innocenti interdum dolet, tot iniurijs & calumnijs esse expositum: tamen is sæpè & facilè pro sua æquanimitate condire potuit, & pro animi magnitudine contemnere. Etenim vt ille verè dixit

*Ouid. lib. 4. fast.
Hiero: To: 2. ad
Marcum Presbyt:*

Conscia mens recti famæ mendacia ridet:

Neq; qui patitur, sed qui facit contumeliam miser est.

2. Cor. 6.

Inprimis autem perpendit hic noster, quod D. Paulus scribit, & quod cui libet sincero Ministro alto corde reponendum est, ita inquit: in omnibus commendemus nos ipsos vt Dei Ministros, in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceri-

12

D. D. Iacobi Andree.

carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in puritate, in scientia, in animi lenitate, in benignitate, in Spiritu Sancto, in caritate non simulata, in sermone veritatis, in potentia Dei, per arma Iustitiæ dextra ac sinistra, per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes: quasi impostores & tamen veraces: quasi ignoti, tamen noti &c. Hoc inquam D. Iacobus noster perpendit, ipsa vita expressit, & in praxi Theologica exercuit.

Quod enim aliqui vehementiam in ipso accusant, sapè ea admodum fuit necessaria. Etenim ut mansuetudini suus est locus, quam hic noster nunquam intermisit: ita etiam vehementiam suam habet sedem. Christus perfectissimarum virtutum perfectissimum exemplar, etsi mitissimus erat: nihilominus cum necessitas postulabat quanta vehementiam usus est erga Scribas & Phariseos? Ioannes Baptista, Princeps Apostolorum Paulus, & alij viri sancti, an non si res ita tulit grauius vehementerque in veritatis hostes sunt inuecti? Etenim sic se res habet: quemadmodum veritatem toto corde amplecti, & fouere debemus: ita *psal. 139.* vero Zelo tenemur mendacium & impias doctrinas fugere & execrari: Sicut Psalter inquit: Nonne qui oderunt te Domine, oderam: & insurgentes contra te abominabar? Perfecto odio odi illos, ideo inimici facti sunt mihi. *2. Cor. 5.* Hinc etiam Apostolus inquit: Siue insanimus, Deo insanimus: siue sani sumus, vobis sani sumus. Caritas enim Christi confringit nos. Et rursus idem ad Galatas scribit: si hominibus placerem Christi seruus haudquam essem. *Sal. 1.*

Sed nostri seculi Prothei, peruersi Doctores, ut apud omnes sese insinuent ad voluntatem quiduis & dicunt & faciunt, ne quem offendant: ideo faciunt, ut per suas *Rom. 16.* *χρησολογίας & εὐλογίας* simplicium corda decipiant. Tales non

Oratio, de Virtutibus

non Christo, sed suo ventri seruiunt: huiusmodi Doctores similes sunt ijs, de quibus Dominus per Prophetam conqueritur, q̄ consuunt puluillos & faciunt cervicalia, q̄ axillis & capitibus supponūt ad decipiendas animas. **Ezech. 13.** Nequaquam vero noster talis fuit Parasitus, nemini unquam obtrusit palpum vel cervical: Sed grauissimam illam Domini concionem ad Prophetam quæ extat Ezechielis capite tertio, quæq; ad omnes Ministros pertinet, diligenter perpendit: itaq; in concionibus in scriptis suis, pio ardentiq; zelo cunctos est dehortatus à peccatis, à doctrina impia: diligenter ostendit horum finem, iram Dei, damnationem æternam. Qui hoc in vituperio ponit, & non in laude, is certè nulla laude, omni vituperatione dignus est. Et quid mirum, licet interdum vehementior fuisset? Salomon inquit, calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis eius. Sic quando noster ad atrocissimas calumnias quibus in vitæ necisq; discrimen plurimi eum adducere conati sunt, & cum ad oppressionem veritatis, hostes tanta malitia tam immani odio conspirare vidit, factusq; esset nonnunquam commotior, quis hoc adeò reprehendendum existimabit.

Eccles. 7.

Et vt in pauca conferam, video enim horam elabi: in hoc nostro nihil non singulare, nihil non magnificum & præclarum fuisse confirmo, & apud æquos rerum æstimatores facile obtinuero, in quem Deus præ alijs multis, plurima dona contulit.

Sed hisce omnibus donis eximijs, quibus inter collegas, inter alios homines eminebat, quibus domi clarus, foris excellens habebatur, non abusus est ad superbiam, ad contemptum collegarum, aut aliorum qui ipsi pares non essent. Verum vt hisce donis ad Dei gloriam, ad ædificationem

D. D. Iacobi Andreae.

ficationem Ecclesie, ad plurimorum salutem strenuè gnauiterque est vsus: ita non voluit præ ceteris eminere & excellere: alienissimus ab arrogantia, qua Hieronymo teste nihil est periculosius. Res est non arcana quam dico, sed plurimis nota: collegas etiam longè inferiores veneratus est vt Dei Ministros, nec alio quam fratrum loco habuit: dona Dei in aliis & agnouit & magnificet: semper de se humiliter demissèque sensit & est locutus. Quoties & quàm multis dixit, oportet vos crescere, me autem minui? Idem in votis semper habuit, quòd præstantissimus ille vir restaurator Euangelicæ veritatis D. Lutherus piæ & sanctæ memoriæ, cùm in postrema Genesios lectione diceret: **Unser Herz Gott geb/dah andere nach mir besser machẽ.** Adeò non fuit hic noster *αὐδάδης*, vt scripta sua discipulis relegenda, & si quæ viderentur corrigenda traderet: (quod antè eum Lumen illud Germaniæ post Lutherum D. Brentius piæ memoriæ facere consueuerat): plus enim vt dicere solebat ex veteri prouerbio vident oculi quàm oculus. In consultationibus tam non suam cupiuit defendere sententiam, vt semper alios audiret & rogaret, si aliter sentirent liberè contradicerent, se paratum esse cedere rectiùs sentienti, Spiritus Prophetarum Prophetis subiectos esse aiebat.

Ad Fabiolam de
24. mansi:

I. Cor. 14.

O quàm pauci sunt, qui tanti viri vel vnicam hanc virtutem imitari conentur. Hoc enim solenne est, inter homines indoctos præsertim, vt neminem audiant, & sibi soli sapere videantur: vt ignoratione sui grauer atque intolerabiliter arrogantes sint.

Sed Adolescentes, haud rectè sentiunt qui ità sentiunt

D unt

Oratio, de Virtutibus,

1. Pet. 5.

unt: fundamentum philosophiæ nostræ humilitas est, quam à Christo discere debemus, & animis nostris infixam habere: Deus enim superbis resistit, humilibus dat gratiam. Qui agnoscit se donis à Deo præ cæteris ornatum esse, is pia modestaque humilitate, pro tanta Dei largitate creatori suo gratias agat: & in id elaboret, ut quo plura dona in se sentiat, eo maiore conatu aliis inferuendum sibi esse sciat. Hoc enim vult Saluator, cum præci-

Matth. 20.

» pit: quicumq; voluerit inter vos magnus fieri, sit vester Mi-
» nister: & qui voluerit inter vos primus esse, sit vester ser-
» uus. Sicut filius hominis non venit ut sibi ministraretur,
» sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam redem-
» ptionem pro multis.

Dixi, Adolescentes, de virtutibus quibusdam singularibus & eximijs, excellentissimi viri deq; Ecclesia Christi optimè meriti, D. D. Iacobi Andree pje memoriæ: qua in re, etsi oratio deesse nemini possit, tamen non tam copia quàm modus in dicendo querendus fuit: præsertim cum non dubitem, ut ab initio dixi, aliquem ex præstantissimis viris Professoribus Tübingensibus id præstiturum & copiosius & ornatius. Vobis autem has huius viri laudes ideò proponere volui, ut hunc præclarum virum, optimum Præceptorem, Ecclesiæ oculum, Sacerdotum Antistitem, quem Deus nobis in hac vita eripuit, vos qui Ministri Ecclesiæ futuri estis imitari conaremini.

Sed priusquàm finem dicendi faciam respondendum est aliquid aduersariis.

Nam quæ de verissimis laudibus nostri defuncti dixi, nonnulli aliter accipient, atque à me dictum est: nimirum,

14
D. D. Iacobi Andree.

rum, me in eius commendatione fuisse nimium, & velle eum facere ἀναμάστυτον. At verò non hoc vnquam induxi in animum meum vt contra scripturæ veritatem, & eum qui seipsum peccatorem professus est, è peccatorum numero eximerem. Sed ostendere volui paucis, quas hic vir præstans virtutes habuerit: ad infirmitates humanas quod attinet, sciant calumniatores & bonæ famæ hircudines, hunc nostrum non adeò Suffenum sibi fuisse, vt quod ipsi faciunt detrahendo aliis, sua laudando, iste seipsum non agnouerit.

Etenim licet nullius externi sceleris sibi conscius fuerit, tamen agnouit se hominem esse: agnouit se in multis peccare, quod de omnibus Iacobus scribit. Etenim qua humilitate, qua deuotione, qua detestatione sui ipsius (vt ità dicam) infirmitates suas agnouerit, ego scio, etiam si calumniatores nesciant: in primis autem scit Deus, qui est iustus, scrutans corda & renes.

Iacob. 38

Non dubito autem quin de morte eius, veritatis hostes varia sint sparsuri: videbitis inuectiuas, Scazontas, Iambos, Satyras, cantilenas, Pasquillos, odas, & similia: neque liuor (vt ille ait) post fata quiescet. Dum viueret talia est expertus, multorum iniuriis fuit expositus: ergo meliora sperare non possumus. Sunt enim multi φιλοδοξολογοι, vt inquit Socrates, homines obscuri abiectique nihil ex se nobilitate contendunt. Sed ferendum est, quicquid futurum est: quanquam præclaræ eius virtutes aliud merentur, & si earum nulla, tamen vel sola eius humilitas, quæ est præcipua conseruatric, & quasi custos omnium virtutum, nihilq; est quod nos ità & hominib; & Deo gratos faciat, quàm si vitæ merito magni, & humilitate infimi simus. Verum subierunt etiam alij eandem fortunam

Socrates lib. 6.

cap: 12.

Hieron. ad Celaniam I. Tomo.

Oratio, de Virtutibus

Ioan. 8.

fortunam: post Christi mortem mentiti sunt Scribæ, Pharisæi: post mortem Lutheri notum est, quæ aduersarij pro sua petulanti impietate euomuerint. Neque aliter agere debent homines illi, vt ostendant cuius filij sint: quemadmodum Saluator inquit, Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater mendacij.

Cic: pro Q. Roscio 47. b.

Nouimus autem, quod ijs flagitiis quæ isti φιλολοιδόροι hætenus in scriptis suis maledicis & execrandis de nostro sparserant, ei fecerint luculentam iniuriam. Itaque nunc breuiter hoc respondisse sufficiat: vt ignis in aquam coniectus, continuo restinguitur & refrigeratur: sic referuens falsum crimen, in purissimam & castissimam vitam, statim concidit & extinguitur.

Matth. 5.

Quæ crimina obiecta sunt Paulo sanctissimo? In Athanasium innocentissimum plurimi inuecti sunt, neque à conuitiis sibi temperarunt. Quid? quod ne ipsa innocentia Christus Saluator noster, diabolicas calumnias effugere potuerit? Sed is suos consolatur, inquit: Beati estis, cum probra iecerint in vos, & insectati fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersus vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt antè vos.

Neque est de morte eius gloriemini Hæretici, atque triumphum agatis: quasi is iaceat, qui hætenus impios vestros conatus, per virtutem Dei ex ipsius verbo refrenauit: & quasi posthac impeditè Blasphemias & execrandas vestras

D. D. Iacobi Andree.

vestras hæreses propagare possitis. Erratis si id creditis. Post Eliam in cœlum assumptum fuit Elisæus, qui Baaliticus cultus impugnaret: Prophetæ suos habuerunt successores: vincito Paulo, verbum Dei non fuit vincitum: mortuis Apostolis, veritas non est mortua: ita mortuo Iacobo nostro, veritas non est sublata, nec veritatis defensio: tace nunc D. Iacobo, veritas non conticescet. Nostis eius Symbolum, Non moriar sed viuam, & narrabo opera DOMINI.

2. Tim. 2.

Psal. 118.

Prædicat iam opera Domini, in cœlesti Ecclesia, cum Angelorum choris: narrabit opera Domini in scriptis suis doctissimis, & in discipulis suis, qui nondum sunt mortui, sed Dei beneficio magno numero, non solum in Ducatu Vvirtembergico, verum etiam aliis in locis sunt superstites. Et quamuis hic noster, quem per contemptum Fabriculâ appellare sunt soliti (quia Fabri filius fuit) è terra sit sublatus in cœlestem Patriam: sciant, adhuc multos esse fabros in terra Israël, qui gladios verbi Dei parare, & acuere & expedire possint. Licet nostri non iactent eruditionem nescio quam transmarinam, aut Cherubicam atque Seraphicam, qua aduersarij turgent: tamen Deus ex ore infantium & lactentium perficiet sibi robur, vt destruat inimicum & vltorem.

Sam. 13.

Psal. 8.

Cogitate autem vos Hæretici, Iebusitæ, Sacramenti-perdæ, hostes Maieslatis Christi, & quicumque estis Zizaniarum seminatores, laquei Diaboli, (hos enim absentes compellare paucis mihi liceat) vt eum Augustino & Hilario loquar, cogitate inquam, quomodo excusaturi sitis tot falsa testimonia, tot virulentas calumnias, tam atrociam crimina, quibus innocentes viros, eosque meritos onerare, atque per vim opprimere conati estis.

August. lib. 5.

confess. Hilar.

lib. 5. de Trin.

D 3

Tu



Oratio, de Virtutibus

2. Tim. 4.
Marci. 7.
Ephes. 4.

Tu verò Iesu Christe, Optime, Maxime, quando tibi visum est, tam præclarum virum, quem ad tempus nobis concessisti rursus eripere, & cum qui pro tua Maiestate ad Ecclesiæ salutem laboravit strenuè, qui cursum suum consummauit, qui fidem seruauit, ornare illa ineffabili gloria, quam credentibus es pollicitus, quam spe patienter expectamus: nihil habemus quidem, quod contradicamus: omnia enim benè facis, quæcunq; facis. Sed quia ascendisti in altum, & captiuam duxisti captiuitatem, quidam dona hominibus, da nobis Domine Prophetas, da pastores, da doctores: concede nobis Iacobos, largire filios tonitruui: mitte fideles operarios ad instaurationem sanctorum in opus administrationis, in ædificationem corporis tui: donec perueniamus omnes in vnitatem fidei & agnitionis tui.

Et cùm iam diu sanctissimum tuum nomen per tot diabolicas hæreses, per tam impia & Blasphema ora traducatur, tua maiestas conspuatur & conculcetur: tu, Summe Imperator, ab his pestibus parui habearis, imò despectui illis sis; fac tandem finem huic mundo, impone silentium abominandis hæresibus, consceleratis blasphemijs, quas in te euomunt. Satis Blasphematum est, satis diu videris impiorum pœnitentiam expectasse. Manifesta te tandem illustri tuo aduentu: veni Domine, & noli tardare, veni citò Domine Iesu, & vindica nominis tui gloriam: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: qui es cum Patre & Spiritu
S. Deus super omnia benedictus in
secula, Amen,
Amen.

16
REVERENDO ET
CLARISSIMO VIRO D. ANTHO-
NIO VARENVLERO, S.S. THEOLOGIAE
Doctōri celeberrimo : Illustris. Principi Vvürtem-
bergico à Consilijs, Præsuli Hirsaviano digniss-
mo, &c. Domino & cognato suo
vnice colendo:
S P. D.

M. VLRICVS BOLLINGER VVANGENSIS.



ANTHONI, pater Hirsavia venera-
bilis adis
O semper rebus portus & aura
meis.

Hac tibi quam missam forsā non esse volebas,
ABOLLINGERO littera missa venit.
Littera (non aliud si tristia fata tulissent)
Anni que fuerat vota datura novi.
Vt per agas illum cara cum coniuge felix:
Vt tibi non ulla parte molestus eat.
Sed, dolor heu, tecum nobis in limine primo
Heu, nimis infelix hic novus annus adest.
Et sic lata parum referet tibi littera nostra,
Qua tu vix oculo non lacrimante leges.
Recte equidem, longa quamvis etate gravatus,
Ipse tuus nostra vivit in urbe pater.
Cui post bis septem (Domino laus) lustra peracta:
Primus hic & decies septimus annus init.

Vivit

Vivit uterque parens Pylios vivantq; per annos,
Auctorem vita nocte dieq; precor,
Vivit &, ut spero, fratrum pia turba tuorum,
Et vivunt iuncti sanguinitate tibi.
Hi vivunt omnes, omnes vivantq; precamur,
Longaq; Cumæ secula vatis agant.
Ast ò ANTHONI, vivit non amplius unus,
Quo tibi vix socios carior inter erat.
Deserturus erat Capricornum Phæbus Apollo,
Lux ibat mensis septima, Iane, tui.
Vir sacer Andreæ clausit sua fata Iacobus
Qui Sponse vindex, optime Christe, tuæ.
Heu tibi quàm magnos obitus feret iste dolores
ANTHONI, Andrea post caritute tuo?
Quando recordaris quod te iuvenilibus annis
Edocuit sacrum Religionis opus.
Quod tibi deinde fuit Symmista fidelior unus,
Qui tibi sincero iunctus amore fuit.
Quodq; tuam prolem sacro de fonte levavit,
Dignatusq; fuit compater esse tuus.
Nonne tibi lacrimas isthæc tam cara movebunt
ANTHONI, caro iam spoliata viro?
Sic olim luxit, lacrimis & fleuit obortis
Timotheus lethum, cælice Paule, tuum
Sic & Eliseus caro privatus amico
Planxit, in ætherios scandit ut ille polos.
Sic alios alij, raptos & quisque sodales,
Flevit inoffenso, corde querente, D E O.
Aspice, sic passis Ecclesia sancta capillis
Testatur luctus, quos tulit inde, suos,

Quem

Quem nunc in terris hac sponsa misella sequetur
 Ut sit ab hereticis intemerata viris?
 Hic erat Andreas tuus, ô Ecclesia, custos,
 Quo fueras multos vindice tuta dies.
 Cuius ego si virtutes hic scribere coner,
 Maius Odyssea scribere coner opus.
 Tu pater ANTHONI, qui polles ore disertio,
 Has potes eloquijs enumerare tuis.
 Nec dubito quin has sis narraturus abundè
 Huic quando solves debita iusta viro.
 Nam fuit Andreas noster tibi notior uni,
 Et tibi ceu nato fa' verat ille suo.
 Nomine reg, simul quod verus Episcopus esset,
 Edocuit Pietas istius amplius ampla viri.
 Virtutes habuit quas debet talis habere,
 Inspector sacri qui cupit esse gregis.
 In verbo, vitâq, fideq, in amore, pudore,
 Christicolis fuerat dulcis imago suis.
 Hic Evangelici munus Doctôris obi vit
 In quod eum posuit Spiritus ipse DEI.
 Non dubium grâvida delectum matris in alvo,
 Ut populum doceat cœlica verba suum.
 Ieremias veluti, Domini velut organon istud,
 Christiados Paulus qui prius hostis erat.
 Quattuor & nondum natus benè lustra, solebat
 Ille rudes pueros ille docere senes.
 Illi doctrinæ fuerat Confessio cordi,
 Nomen ab Augusta quæ tenet urbe suum.
 Nexa comas viridis fidei Concordia Lauro,
 In lucem sese protulit huius ope.

E Odit




Odit hic ex imo contraria dogmata corde
Quæ non sincera Religionis erant.
Spirituum nequam ne dogmata Calva serentes
Decipiant plebem, Christe benigne, tuam.
Sunt impostores simulando falsa loquentes,
Stigmatica mentis signa notata gerunt.
Si verò vitæ vidit vigil impia facta,
Correxit monitu protinus ille suo.
Quod simul extruxit dextrâ simul ille sinistra
Servavit, vitâ conveniente sua.
Interdum duro peccantes arguit ore,
Fecit id officij pro ratione sui.
Non canis elinguis, non sit sine voce, sacerdos,
Ceu tuba quæ nullos clangit ab ære sonos:
Ut Stentor clamet, non territus ore sonoro,
Ut plena clangunt æra canora tubæ.
Non inimicitiam, nec amoris vincula spectet,
Sed nec mel nec fel illius ora linant.
Instet & opportunus & importunus, in hora
Commodiore magis commodiore minus.
Sollicitet: moneat, roget, petat, urgeat, instet
Sive sit apta dies, seu sit inepta dies.
Illum nec titulus, nec inanis gloria forsan
Terreat, ut crimen conticuisse velit.
Non aliena sonet, dicens pro falce ligonem,
Pro merito quem vis nominet ille suo.
Instit id omnipotens alti dominator Olympi,
Qui quondam vati talia verba dedit:
En, te mortalem fortis mea dextra locavit,
Ut sis pro populo per vigil usque meo:

Si

*Si quid ab ore meo vigilanti carpseris aure,
 Illius ad populum nuncius esto meum.
 Quod si criminibus polluto talia fabor:
 Impie, tu Stygias morte subibis aquas.
 Tu si non fueris verborum nuncius horum,
 Impius in reprobra cesset ut ire via:
 Certa quidem tandem veniet sua pœna maligno,
 At tu deinde reus sanguinis huius eris.
 Sin fueris monitor, nostra te voce iubente
 Impius ut vitæ crimina magna fleat:
 Ipse sed ulterius peccat pœnas dabit ipse
 Tu tamen hinc animæ liberioris eris.
 Talia perpendit (scis Varnbülere) Iacobus,
 Ereptum nobis quem mea Musa dolet.
 Prò ego si cupiam spectandas carmine multas
 Huius virtutes enumerare viri.
 Dicere, nã, cupiam radient quot sidera cælo:
 Quot viridis frondes alpibus addat Atho.
 Tu sed eris præco virtutum maior earum
 ANTHONI, Hirsaviæ Cœnobiarcha domus:
 In quibus Andreas noster præcelluit unus,
 Nestoreis referet quas tua Suada sonis.
 Quando parentanti tecum, carissime, talem
 Pulpita deslebunt, Hirsaviana virum.
 Hoc tu postremum solves, puto munus amico
 Istud & ut valeas solvere ritè, VALE.*

F I N I S



46 ⁴/_{n, 2}

AB 46 ⁴/_{n, 2}

ULB Halle


3


002 814 994



SB







EBRIS

V T I

PARABILIS,
 AE, SACRAE
 tiffimi, Scholæ &
 cellarij & Præ-
 ceptoris,
 gæ fut

BIO HIRSAV

NBVLE RO D.

n.

bo opera Domini.

G Æ,
 n Anno Domini
 XXX.

7
 5

